



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

Disputatio Christiani & Saraceni, incerto interprete.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

rei scire afferent, vnam afferre iubetur adolescens. Atque (o ingens miraculum!) euanescit illa, nec huc vsque reperiri potest. Itaque vacuis manibus reuertitur. Imperator pudore suffunditur, atque id quod cōtigerat, premere atque occultare conatur, ne illustriorem etiam, quam antè, sancti viri gloriam reddat. Neque enim ipsum fugiebat, quin diuinum Stephanum omnes penè sanctum confiterentur. Iuuenem autem illum, vt calumniatorem, multis verberibus laceratum exilio mandat. Sic nimirum Dæus iustos è tentationibus eripere, impios autem eorum loco tradere nouit. Quin ne versuta quidem illa ancilla, quæ & sanctum virum, & heram suam accusauerat, iustum Dei iudicium effugit. Nam cum trans turbam ad Aulicalamum peruenisset, seque fabulam detecturam esse confirmaret, & quonam modo, vt sancto viro calumniam strueret, subornata fuisset, nisi ipse quod promiserat, expleret, id ille metuens, cuidam eorum, qui legendis Bithyniæ tributis præerant, eam in matrimonium collocat. Prægnans autem facta, gemellos filios in lucem edit. Cæterum sub mediam noctem repente conturbati infantes illi, arreptis maternis mamillis, horridumque in modum exesis, eam protinus necant, atque vnà cum ea viperini illi foetus extinguuntur. Tales pœnas scyphanta pependerit: talem ea mercedem tulit, quæ sanctum virum falsi criminis reum egerat. Hæ sunt clarissimi Stephani monasticæ palæstræ, hæc athletica certamina: quibus, cum non modò aduersus carnem & sanguinem, sed etiam aduersus principatus & potestates dimicasset, amplissimum præmium reportauit, nimirum vt ipsi Trinitati laureatus adstet, * adhuc monasticis sudoribus & athletico cruore gestatus: cui vtinam nos quoque ipsius precibus atque intercessione adstemus, per Christi gratiam ac misericordiam, quem decet omnis gloria, vnà cum principibus, experte Patre, & viuifico Spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

* Ἐν τῷ
ἀποστόλῳ
ἰεροσολίμοις
ἐδόθη. ἡ
βασίλειος
ἡμεῶν
ἡμῶν.

D. IOANN. DAMASCENI
LIBER, QUI INSCRIBITVR
DISCEPTATIO CHRISTIANI
ET SARRACENI.

SI INTERROGATVS à Sarraceno, quis sit Christus? responde ei, Verbum Dei, nec te existimes peccare, quia & Verbum dicitur in Scriptura, & brachium, & potentia Dei, & multa talia. Vicissim autem interroga ipsum & tu, A Scriptura quid dicitur Christus? Tum fortè volet interrogare te & ipse aliud, cupiens sic effugere te: non verò tu respondeas ei, donec utique respondeat quod interrogatus est à te. Necessitas autem coget ipsum, vt respondeat tibi, dicens: A Scriptura mea Spiritus & Verbum Dei dicitur. Tum rursus interroga ipsum: Verbum à Scriptura tua, creatumne, an increatum dicitur? Et si dicat, Increatum: dic ipsi: Ecce cōsentis mihi. Omne enim non creatum, sed increatum, Deus est. Si autem dixerit, Creatum esse Verbum & Spiritum: tum quare, Et quis creauit Verbū & Spiritū Dei? Quòd si necessitate coactus responderit, Deus ipse creauit. Tum tu rursus: Ergo antequam crearet Deus Spiritum & Verbum, non habuit Spiritum, neque Verbū? Quod quum audierit, fugiet à te, non habens quod respondeat. Disceptantes enim sunt tales secundum Sarracenos, & omninò abominabiles, & abiecti. Quòd si verò tu interrogatus fueris à Sarraceno, Verba Dei creatane sunt, an increata? Hæc enim proponunt aduersus nos Sarraceni problemata, potentius volentes ostendere, creatum Verbum

A Verbum Dei: quod non est. Et si dicas, Creata: dicit tibi, Ecce dicis creatum Dei Verbum. Si autem dicas, Increata: dicit tibi, Quoniam ecce omnia verba Dei increata quidem sunt, diu autem non sunt. Ecce tu confessus es, quoniam Christus Verbum est Dei, non est Deus. Propter quod neque creata dicas, neque increata: sed sic responde: Ego vnum solum Verbum Dei confiteor increatum ens: omnem autem scripturam meam non dico λόγους, id est, verba: sed ῥήματα Dei, id est, sermones Dei. Et Sarracenus: Qualiter dicit Dauid, Verba Domini, verba casta? Dic ei, quod Propheta tropologicè loquutus sit, & non cyrologicè, id est, non propria & firma verborum significatione. Et Sarracenus: Quid est tropologia & cyrologia? Responde: Cyrologia quidem est firma & certa demonstratio. Et Sarracenus: Contigitne Prophetam proprio suo instinctu loqui? Dic ipsi: Consuetudo est Prophetarum tropologicè loqui: quale hoc, Mare vidit, & fugit: ecce mare oculos non habet, neque est animatum. Et rursus idem Propheta velut animatum ipsum alloquitur: Quid est tibi mare quoniam fugisti? & quæ deinceps. Rursus ostensiuum suppositionis. Dicit enim Deus ad Cain: Maledictus tu es à terra, quæ aperuit os suum suscipere sanguinem fratris tui de manu tua. Ecce hinc tropologicè dicit os. Et gladius meus comedet carnes. Scindit enim, non deglutit. Sic & ῥήματα, id est, sermones qui dicuntur & sunt effabiles, dixit λόγια, id est, verba, quæ proprie non sunt, verba: id est, interius solum in mente seu ratione formata, sed (vt dictum est) ῥήματα.

C Si quaerat Sarracenus: Qualiter descendit Deus in ventrem mulieris? Tum tu: Utamur scriptura tua, & scriptura mea. Et scriptura quidem tua dicit, quod præpurgauit Deus Mariam suam super omnem carnem mulieris, & descendit Spiritus & Verbum Dei in ipsam. Et Euangelium meum dicit, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ecce vna vox vtriusque loci & vnus intellectus. Cognosce autem & hoc, quoniam ad nostram proprietatem diceret Scriptura descensionem Dei & ascensionem tropologicè, & non cyrologicè. Proprie enim descendens & ascendens ipse dicitur secundum Philosophos. Deus autem omnia continens, & à nullo continetur. Dixit enim quidam Prophetarum: Quis mensurauit manu aquam, & cælum palmo, & pugillo terram? Et bene. Omnes aquæ, simplex comprehensio manus Dei sunt: & omne cælum, palmus: & omnis terra, pugillus. Qualiter igitur contingit, ipsum in propria manu omnia retinentem, descendere & ascendere?

D Rursus interrogatus à Sarraceno, Si Christus Deus erat, qualiter comedit & bibit, & dormiuit, & crucifixus est, & mortuus est, & quæ deinceps? responde tu: Quoniam ante secula Verbum Dei, quod creauit omnia, secundum quod testatur scriptura mea & scriptura tua, ipsum creauit ex carne sanctæ virginis hominem perfectum, & animatum, & intelligentem: ille comedit, bibit & dormiuit, Verbum scilicet, secundum quod Verbum Dei. Verbum autem Dei non comedit, neque bibit, neque dormiuit, neque crucifixum est, neque mortuum: sed caro quam assumpsit ex sancta virgine, illa crucifixæ est. Cognoscis autem, quoniam Christus dupliciter dicitur.*

E vnus autem hypostasi. non enim est æternum Verbum Dei, & post assumptionem carnis ἀνθρωπίνον, id est non personale vel naturale. Non enim appositæ est Trinitati quarta persona post ineffabilem vnionem carnis.

5 Et si interroget Sarracenus, An quem dicitis Deum, mortuus est? responde tu, Non mortuus est: confidens Scripturæ & demonstrationi, dicit enim Scriptura de hoc: Venit enim naturalis mors aduersus hominum memoriam dominans, id est subijciens vt in nobis omnia: sed perfectus primus homo dormiuit, & costæ* est.

6 Et Sarracenus: Ecce percussus sum in aliqua carnium mearum, & percussa caro cicatricem contraxit, & in cicatrice factus est vermis: quis igitur ipsum

formauit? Dic ipsi, sicut prædiximus, quod post primam hebdomadam creationis mundi non inuenimus quodcunque aliquando formantem hominem vel formatum, sed præcepto Dei, quod præcepit in prima hebdomada * finitur: quæ sunt. Post transgressionem autem condemnata, usque hodie pediculos & vermes germinat.

7 Et Sarracenus: Quam dicitis causam mali & boni? Christianus: Omnium bonorum asserimus causam Deum, mali autem nihil. Sarr. Quam dicitis causam mali? Christ. A sententia diabolum * existentem manifestum & nos homines. Sarr. Propter quid? Christ. Propter liberum arbitrium. Et Sarracenus: Quid igitur liberum arbitrium, & quoniam quæcunque vis faceret?

Chr. Plasmatus sum à Deo libero arbitrio. Sarr. Propter quid? Christ. Malefacere & benefacere, quod est bonum & malum. Gratia huius mala quidem faciens, punior à lege Dei: bona autem operans, non timeo legem, sed & honoror, & misericordiam à Deo consequor. Similiter & diabolus primum hominem deceptit per liberum arbitrium, & peccauit, & Deus propria ordinatione expulit ipsum. Sed fortè & dices mihi, Qualia sunt, quæ dicitis bona & mala? Et Sarracenus: Ecce Sol & Luna & Stellæ bona sunt, fac vnum ex his.

Christ. Non gratia huius dico tibi, secundum hominem operor bonum & malum: bona quidem, glorificatione Dei, & oratione, & elemosyna, & similibus his. Si autem dicitis tu bona & mala ex præcepto Dei esse, inuenietur Deus aduersus te iniustus: quod non sit. Quia enim Deus præcepit fornicatorem fornicari, & homicidam occidere, & furem furari, digni sunt honore, voluntatem enim Dei fecerunt. Inuenientur autem legis positores mendaces, & libri tui mendaces conscripti, quia præcipiunt nos fornicatorem & furem flagellare, & homicidam occidere: voluntatem enim Dei fecerunt.

8 Sarracenus: Quis, ait, format foetus in ventre mulierum? Hoc proponunt nobis problema, potentius volentes ostendere, Deum causam malorum. Si enim respondeas, dicens, quoniam Deus format foetus in ventre mulierum: dicet tibi Sarracenus: Ecce Deus cooperatur est fornicatorum & adulterorum. Christianus sic respondet, dicens: Nequaquam inuenimus post primam hebdomadam mundi creati, Scripturam dicentem formare Deum vel creare aliquid. Si autem dubitas ad hoc, ostende tu plasma vel creaturam qualemcunque post primam hebdomadam factam à Deo: sed tamen non potest ostendi hoc. Omnes enim visibiles creaturæ, in prima hebdomada factæ sunt. Formauit enim Deus hominem in prima hebdomada, & præcepit ipsum generare & generari, dicens: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Et quia animatum ens homo, animatum semen habens, in propria vxore semen repullulat: quare homo hominem generat, quemadmodum diuina Scriptura ait: Adam genuit Seth, & Seth genuit Enos, & Enos genuit Cainan, & Cainan genuit Maleleel, & quæ sequuntur. Et non dixit, Deus plasmauit Seth, Enos, vel alium aliquem. Et hinc cognoscimus, quoniam generantur & generant usque ad præsens, & sic gratia Dei mundus constitutus est: nam ab eo tempore omnis herba generat & generatur. Dixit enim Deus: Germinet terra herbam sceni, & præcepto Dei germinauit vnaquæque arbor: similiter & herba & planta ex seipsa habet semen & potentiam. Semen autem omnis plantæ & herbæ, animatum quiddam est: in terram cadit à seipso: & ab alio seminatum, regerminat, non plasmaatum ab aliquo, sed præcepto Dei obediens. Ecce & ego, quemadmodum prædicebam, libero arbitrio existens, vbi vtique semino, seu in propriam vxorem, seu in alienam, libero arbitrio vtens, germinat, & fit præcepto Dei obediens, non quoniam nunc secundum vnumquamque diem plasmaat & operatur, quia in prima hebdomada fecit Deus cælum & terram, & vniuersum mundum in sex diebus, & die septima requieuit ab omnibus operibus suis, quæ incoepit facere, secundum quod Scriptura testatur mea.

A 9 Sarracenus: Quid est quod ait Deus ad Hieremiam, Antequam plasmarem te in utero, sciui te, & ex matrice sanctificauit te? Omnino igitur in ventre plasmauit. Chr. Animatum & seminatium potentiam Adam in ventre habens, Seth genuit, quemadmodum dicebam, Seth & Enoc & vnusquisque homo prius habent in ventre suum filium, & filius genuit vsque ad presens. Hoc autem, Ex utero sanctificauit te, intellige eam, quæ verè genuit filios Dei, secundum testimonium sancti Euangelij.

10 Sarracenus: Facientes voluntatem Dei, bonos dicis vel malos? Chr. Dicere vis, quod Christus nolens passus sit. Et si dicam tibi bonos, dices mihi: Vade adores Deos, quoniam voluntatem Dei tui fecerunt. Sarr. Et hoc ipsum tibi volebam dicere. Chr. Quid tu dicis voluntatem? Ego dico sustinentiam & longanimitatem. Sar. Vnde hoc ostendere potes? Chr. Per rem: quia sedente me & te, vel stantibus, potest quis ex libero arbitrio siue stare, vel moueri. Et nunquid Deo dicente, Non furaberis, Non fornicaberis, Non occides, vult ut furemur, vel fornicemur, vel occidamus? Sar. Non, si enim vellet, nõ vtiq; diceret hoc. Chr. Gloria Deo, quoniam tu confessus es: ecce concordas mihi, quoniam nullus ex nobis siue potest surgere, siue viuere: & quoniam non vult Deus ut furemur, vel fornicemur, vel occidamus. Et si nunc exurgens, furer, vel fornicer, vel occidam, quid ipsum dicis? voluntatem, vel confessionem, vel sustinentiam, vel longanimitatem?

11 Sarracenus: Quis est apud te maior, qui sanctificat, vel qui sanctificatur? Chr. Quid velis dicere, intelligo. Sar. Si enim intelligis, responde mihi. Chr. Si tibi dicam, Qui sanctificat: dices mihi: Vade, adora Ioannem Baptistam, vt baptizantem & sanctificantem Christum tuum. Sar. Sic sanè tibi volebam dicere. Chr. Superueniente te cum seruo tuo in balneo, & ablutus & mundatus ab ipso, quem habes dicere maiorem? illum miserum & argento emptum, vel te mundatum ab ipso, sicq; & Dominum ipsius existentem? Sarr. Me ipsum dico maiorem qui possideo, quàm illum qui à me possidetur. Christ. Gratias ago Deo. Sic mihi intellige Ioannem, vt seruum & famulum, ministrantem Christo in sancto baptisate in Iordane, in quo baptizatus Saluator meus, eorum qui illic in cauernis latentium draconum & perniciosorum dæmonum capita strauit. Sarracenus autè valde admirans & deficiens, recessit, nihil apponens ad ipsum alterum.

D. IOAN. DAMASCENI

SENTENTIARVM ALIQVOT

FRAGMENTVM, BILIBALDO PIRCHEY-

mero ad Claram sororem interprete.

E In vitiorum capitalium enumeratione Græci vanam gloriam à superbia distinguunt. Ob idque apud eos octo summa vitiorum genera recensentur. Nos autem, quoniam inanem gloriam ad superbiam tanquam ad genus reuocamus, septem dumtaxat numerare solemus. Porro cum hoc Damasceni opusculum nobis aliquanto breuius videretur, idcirco duo alia eiusdem argumenti subieciimus, vnum Euagrij, alterum Nilij, vtrumque ex locupletissima Regina matris Bibliotheca petitum.



C 10 sunt passiones, quibus admodum (præcipuè spirituales) impugnantur homines, gula videlicet, turpis concupiscentia, avaritia, ira, aduersitas, acedia, vana gloria, & superbia.

Hæc itaque vitia discerni, & summa diligentia cognosci debent, vt cum aliquo illorum tentatur homo, semper arma, quibus se munire possit, præparata habeat.